

coniunctionem trium naturarum in una persona, animam, corpus, atque divinitatem in uno divino supposito pulchre adumbrabat. Vexillifer erat Archangelus Gabriel, cui tamquam paranymphe, atque huiusmodi honor debetur. Continuo sequebatur alterum vexillum, quod in pacis, ac securitatis symbolum erigi solet: in hoc impressus cornubatur vitulum, quod in pacis, ac securitatis symbolum erigi solet: in hoc impressus cornubatur vitulum, quod in ara crucis velut vitulus immolatus fuit, eiusque caro, quae undique rubicunda, ac sacro illius sanguine tineta remansit, facta, velut arcus quidam coelestis, in signum serenitatis, et pacis inter Deum et hominem; Epitaphium haec erat inscriptio: *Levabit signum in nationibus, et congregabit profugos Israel.* Huius vexillifer erat S. Michael Archangelus, qui, ut dicunt sacri Doctores, Christo patienti semper affuit, et in horto solatium praestitit. Tertium vexillum leonem quandam corona redimitum campo insculptum viridi gestabat, cum hac honorifica subscriptione: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Hoc aperte gloriosae illius resurrectionis arcanum denotabat, qua Christus tamquam leo ad sacrae illius laeanae Virginiae Mariae fremitus resurrexit, et in praemium victoriae contra hostes suos obtenta immortalitatis glorioso diademate coronatus fuit. Campus viridis spem certissimam indicat, quam gloriosa eius resurrectio futurae nostrae resurrectionis nobis exhibet. Erat huius vexillifer Angelus ille qui super saxum sepulcri Christi sederat, ac primus fuerat, qui Christi resurrectionem pronunciarat. Quartum vexillum in campo stellato, ac caeruleo aequilam quandam regalem super eius pullos volentem habebat, cuius erat inscriptio: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Hoc vexillo significabatur praesens Ascensio Christi mysterium, in qua tanquam aquila quaedam regia in conspectu discipulorum ad superos evolavit. Campus autem stellatus caeruleus erat, ad significandum quod super coelestem orbem nidum positurus erat: *In arduis posuit nidum suum.* Vexillifer erat Cherubim ille, quem ad Paradisi portam Deus custodem posterat, ut Adam illic intrare tentantem prohiberet. Quo non obscure innotebat, Christum in hac Ascensionis suae die portas coelorum aperuisse, quas Adae peccatum nobis antea clauseras. Neque huic tam admirando Christi triumpho musica, atque instrumenta ad illius celebritatem deferere. Atque haec fuit quinta tam insignis pompae, atque apparatus circumstantia: universi enim supremorum coelestium spirituum chori, quibuscum concinebant dulcissimae gloriosorum corporum Christum comitantium voces, stavisimam quandam musicam, atque admirabilem harmoniam, concentumque efformabant, ut sanctus Cyprianus contempletur (*in ser. Ascen.*) Hi praecedentes, et subsequentes applaudabant victori, et in tubilatione concinentes modulabantur cantium novum: replebat coelum mira illius harmoniae consonantia: hi cornubus, tubisque accinebant (*Psal. 46.*): *Ascendit Deus*

*in tubilo, et Dominus in voces tubae:* illi citharam lyramque pulsabant: *Vox citharodorum citharizantium in citharis suis: alii denique alia tangebant instrumenta, quos ut creatorem suum laudarent, David multo antea invitaverat (Ps. 150.): Laudate eum in psalterio, et cithara: laudate eum in tympano et choro: laudate eum in cymbalis tubilationis.* His etiam voces victoriam acclamantium occinebant: *Vivat Rex, vivat Rex:* per universam aeris sphaeram nullae audiebantur voces nisi victoris gloria, triumphus, victoria: *Her facite ei, qui ascendit super oceanum; illae resonabant in auribus eum comitantium, istae in altissima coelorum testudine reboabant; haec denique in ceteris coelestium orbium partibus personabant, ut huiusmodi harmoniae concentus dulcior esset, sua visque audientium aures demulceret.* Christus etiam divinum vocis suae symphoniam elevavit, suavis illa verba dicens (*Ioan. 20.*): *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum:* attollensque vocem hanc divina virtute sacratissimum illud corpus evexit, iter suum ad coeleste Capitulum dirigens, per universam aeris regionem transiens, nubes penetrans, per ignis sphaeram iter conficiens, per universos coeli orbis, per Lunae circulum, per atrium Mercurii, per sphaeram Martis, per Solis globum, per Iovis ignem, per cursum Veneris, per thronum Saturni, per coelum stellatum, per primam mobile, per aquas condensatas et solidas ad coeli crystallini: nec substitit, donec ad coeli empyrei portas, quod est supremum coelorum omnium, evehctus attingeret. Tunc divini illi spiritus, animaeque felices eum comitantis coepere dicere (*Psal. 22.*): *Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.* Angeli autem personae conditionem non ignorantes, sed gloriam, atque maiestatem admirabilem qua incedebat, demirati dixerunt (*Psal. 23.*): *Quis est iste Rex gloriae? quibus responderunt: Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.* Verum vestimenta humanitatis Christi robustia, ictus, atque vulnera plagarum cum eum primis decorantia, atque exornantia mutescentes, dicebant (*Isai. c. 63.*): *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Nominat hic Edom locum Idumaeorum ab Esau descendit, et Bosra praecipuum Moabitaram civitatem. intelligens per haec duo loca habitatores illorum, qui erant Israelitarum inimici omnium maximi, atque inestissimi. Unde perinde fuit, ac si dicerent, quis est iste, qui veniens e terra hostium suorum plagarum cicatrices deferens? respondit Christus; *Ego, qui loquor iustitiam: et continuo tunc ultro aperte sunt duodecim illae coelestis Hierusalem portae, quas S. Ioannes videt, admodumque perfecte impletum fuit id, quod tot retro annis Prophetae Danieli revelatum fuerat (et haec est septima circumstantia excellentiae huius gloriosi triumphi):* *Aspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum diem pervenit, et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.* Mira-*

## HOMILIA QUINTA

*Prosequimur Christi in coelum ascendentis triumphum, pariterque ostendimus, quam ei gloriosa, et nobis proficua eius Ascensio extiterit, in illa verba: Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

Divi Augustini clarissimi catholicae Ecclesiae Doctoris sanctionem, ac singularem vitae integritatem commemorans Possidonius, tria praecipue magni huius viri celebrat desideria, quorum unum erat, celebri alicui adesse Romanorum triumpho; alterum, divinum illum sacrae eloquentiae fontem D. Paulum praedicantem audire; tertium, Christum in carne passibilem, ac mortali propriis oculis intueri. Atqui si divus Augustinus triumphantem illum Romanorum gloriam, tam admirabilem, ac visu dignam esse existimavit; quanto omni admiratione, omnique stupore digno esse censi debet gloriosus ille Christi triumphus, ubi non creata, sed creator ipse, ac rerum omnium opifex; non purus homo, sed homo, et Deus; non intra superbia urbis Romae moenia, sed in coelesti illa Hierusalem; non de hoste, carne, et sanguine compacto, sed de perversis spiritibus, mundi huius principibus ac tenebrarum suarum rectoribus gloriose triumphavit? Fortissimum profecto ac potentissimos hostes habuit Christus; daemonem videlicet, infernum, et peccatum; ac omnibus fortior, ac potentior ipse fuit, qui omnes potentia sua fortiter profligavit, ac una die tot illustribus trophaeis, atque gloriosis victoriis politus est. In primis de peccato, uti infestissimo omnium hoste, quod insolita quadam tyrannide universum terrarum orbem arcibus sibi subdidit, triumphavit, ut D. Paulus (*Rom. 8.*) sub mysteriosis hinc verbis egregie explicavit: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnatus peccatum in carne.*

Misit quidem Deus unigenitum suum in forma carnis peccati: tamen enim caro eius, quia divina, hoc est divino supposito unita, peccati esset incapax, peccati tamen poena, cuiusmodi sunt dolores, curae, atque molestiae, quas perpeccus fuit, peccatum ipsum destruxit, penitusque delet. Dignum profecto artificium admirabile, ac divina Christi sapientia, qui ipsis veneno sordidissimo, quo totum humanum genus antiquus serpens infeceat, ipsum curavit: ex aerumini omni, ac poenis, et calamitatibus peccato nostro debitis, quas in innocua illa sua carne toleravit, medicinam atque antidotum ac medium salutem contra peccati mortiferum venenum coniecit: et quemadmodum antiquitas robustissimum ille Banaia descendit in campum contra Aegyptium, et vi hastam e manu eius extorsit, eademque ipsum interemit: *Hasta sua interfecit*

rabilis haec visio imago quaedam est, Ascensionem Christi egregie adumbrans. Primo ait se Christum vidisse venientem in nubibus: vere enim ascendit in nube (*Act. 1.*): *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Vocat illum, quasi filium hominis, quia licet file carentibus filiis tantum hominis sicut ceteri esse videbatur; revera tamen Filius est etiam Dei, et non nisi matrem habebat in terra, Patrem vero in coelo, illum scilicet, quem Ioannes vocat antiquum diem; non eo, quod Filio, aut Spiritu sancto ullatenus sit antiquior, sed quod eorum principium, et origo est. Ait deinde quod summo eum honore afficiebat, constituens ipsum a dextris suis, super Angelorum universas hierarchias, et ut dixit S. Paulus (*Eph. 1.*): *Constituens illum ad dexteram suam in coelestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.* Atque hic impletum fuisse corninus illud Isaiae, in persona Patris aeterni loquentis: *Ecce intellegit serus meus: exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde.* Advertite, quod dilectum meum Filium, quem in forma servi vidisissis pessumdatum, atque afflictum usque ad mortem crucis, nunc in sua triumphanti Ascensione tam exaltatum, atque elevatum videbitis, ut thronum suum super excelsos coelorum vertices constituat. Sed Chaldaeus Paraphrastes maiora prodidit, in hunc modum illustrans praecipue Isaiae testimonium: *Exaltabitur plusquam Abraham, elevabitur plusquam Moyses, sublimabitur plusquam Angeli superiores.* Denum dicit Daniel, patrem non solum honore, et regno illum coonestasse; *Dedit ei potestatem, honorem, et regnum; regnum non temporale, sicut Iosepho in suo triumpho datum, sed regnum aeternum, ut dicit David (Psal. 144): Regnum tuum, regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione, et generationem.* Ad cuius perennitatem, et perpetuitatem significandam ingeniosa metaphoram usus David, regnum Christi vocavit montem lactis coagulatum (*Psal. 67.*): *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus:* ad constituendum differentiam illius a regnis temporalibus, quae veluti lac liquidum deliunt, et transiunt, ac pereunt. Unde Spiritus sanctus terram promissionis, quae erat honorum temporalium abundantissima, vocavit terram lacte, et melle manantem; sed regnum coelorum vocat lac coagulatum propter eius perpetuitatem: *Mons, ait, coagulatus:* et velut alia lecto habet: *Mons caseus.* Christus igitur hodie possessionem regni aeterni accepit, et aeternus Pater collocat eum in throno maiestatis ad dexteram suam, continuoque ait S. Ioannes audivisse creaturas omnes coeli, et terrae, et maris, et singulas earum dicentes: *Sedenti in throno, et agno, gloria, et potestas in saecula saeculorum. Amen.*

cit eum; ita etiam Christus videns arma sua, quibus peccatum univere mundo bellum gerebat, esse poenas, famem, paupertatem, dedecus, quippe homo, ne illis subiceretur, peccato tradebat, Christus ei huiusmodi arma eripuit, ac illis singulari dexteritate usus, omnes illas agrammas, calamitates, ac miseriae constanter in carne sua perfudit, ut peccatum iam in terra prostratum, et velut hostis extinctus cinderet, ac de illo gloriosus victoriam reportaret: idque significant verba Pauli: *De peccato damnavit peccatum*. De morte etiam illum debellaverit, ac exanimem reddiderit, ut iam ipsa mors non mors, sed vita, requies, ac tempestatum, et naufragiorum huius mundi portus tutissimus existat. Cuius rei figuram habemus in Sansone, qui morte sua inimicis suis vitam ademitt. De Antheo gigante Neptuni, et terrae filio fingunt Poetae, quod quoties membra labore defessa essent, contactu terrae recrearentur; unde quando Hercules cum eo luctans in terram eum deiciebat, novis ceniis in terram Antheo praeebat. Fabula haec est, sed, ut inquit S. Gregorius Nyssenus, ex illa egregie declarare possumus illum triumphum, ac victoriam veritatem, quam Christus de morte obtinuit: cum ea enim in ligno crucis collectans, ac in terram sepulcri conici passus, huius casus mirabili stratagemate humanum genus sublevavit. Neque casus ille quidquam vires eius enervavit: quin potius tanto animo insurrexit, ut mortem destruxerit, spolia eius tulcrit, et vitam nobis comparavit aeternam, prout sancta canit Ecclesia: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit*. De daemone etiam Christus honorifice triumphavit, ut gravissima illa D. Pauli verba aperte indicant (Coloss. 2.): *Expoliatus principatus traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Alludit hoc loco Apostolus, ut inquit Theophylactus, ad antiquos Romanorum triumphos, apud quos more receptum erat, ut ante ipsos triumphantis victoris currus, victi onerati colla catenis, et manibus post terga revinctis, ad maiorem illorum confusionem, atque dedecus, et ad ampliores triumphantis gloriam, atque honorem procederent. Unde ubi Vulgata nostra legit *Principatus, et potestates traduxit confidenter*, perdocte interpretatur S. Ambrosius, et veritatem ostendit confidenter, hoc est, publica quadam demonstratione principes, ac potestates inferni confudit. S. Augustinus aliter transtulit, videlicet *Exemplificavit*, in exemplum, ac symbolum gloriae, et honoris, insignis suae victoriae, principes, ac potestates, manibus retrorsum revinctis, omnium oculis exposuit. Admirabilis quaedam huius veritatis imago fuit historia, quam nobis recenset Daniel, ubi Babylonios commemorat draconem quendam adorsae, per cuius os daemon loquebatur, et responsa dabat: at S. ille Propheta, ut hinc tam notabili damno, et errori occurreret, massam quendam ex pice, adipe, ac pilis confecit, illamque in os draconis coniecit, quam eum draco accepisset, continuo interit: *Tulit*

ait sacer textus, *Daniel piceam, et adipem, et pilos, et coxit pariter, et fecit massam, et dedit in os draconis, et diruptus est draco*. Grande hoc est mysterium, inquit S. Gregor. Nyssenus. Nonne animadvertitis, buccam, quae illius debebat sustentationi, ac vitae cedere, mortem ei attulisse? Admirabilis haec effigies victoriam, quam Christus de daemone reportavit, satis ad vivum exprimit: etenim si Daniel unica buccae ex pice, et adipe composita feroci illi draconi vitam ademitt; Christus se ipso, qui est buccae illa, in qua pice reperitur humanitas, quae in cruce livorem, et nigredinem contraxit, et adeps pinguis suae divinitatis, venoficum illum serpentem, ac ferum draconem, daemone scilicet, medium dirupit. Peracta huiusmodi victoria, de ipsi inferi gloriosa etiam triumphavit, ut praedixit Michaeas Propheta (Mic. 2.): *Ascendet enim pendens stier ante eos: dicens, et transibunt portas, et ingredientur per eam, et transibit Rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum*. Ascendit Christus, Patribus illis sanctis liberum aditum aperiens, portas limbi reseravit, ut per illas gloriosi, et triumphantes egredierentur, et Rex eorum Christus in capite splendentis illius cohortis omnes anteibat: *Et Dominus in capite eorum*: ita huiusmodi verba intelligenda esse voluit Ionas, Paraphrastes Chaldaeus, et plurimi Hebraeorum gravissimi, quos refert noster Galatinus. Vidit hos omnes gloriosos Christi triumphos dilectus eius Ioannes, dum in Insula Pathmos moraretur, ubi ait (Apoc. 6.): *Vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arum, et data est ei corona, et cecit vincens, et vinceret*. Primarius divi Augustini discipulus dicit, equum istum album significare candidam Christi humanitatem, propter eius puritatem, atque sanctitatem: per equum vero intelligit divinum Verbum, quod illum regit, et gubernat: per arum, et sagittas illum, quibus omnes eius hostes, atque inimicos debellavit. Deiecit peccatum, ut nos ex illius eriperet servitute; mortem expugnavit, ne homines illum pertimescerent: daemones superbiam atque animi arrogantiam compevit, et inferni seras reseravit, atque confregit, ut eum praeda sua spoliaret. Denique coropa in capite illius equitis, quid aliud quaeso aptius significare potest, quam coronam illum Christo pro tantis meritis, tantisque victoriis debitam cum gloriosa illa inscriptione faemoris (Apoc. 19.), *Rex regum, et Dominus dominantium*? Verum peractis omnibus istis, deerat Christo triumphus omnium suae ascensionis gloriosissimus, ad cuius gloriam ampliandam venit nubes quaedam, ut inquit S. Lucas (Act. 1.): *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Quae splendida adeo erat, ut S. Ambrosius (serm. 61.) dixerit: *Nec enim poterat obscura esse vel tenebrosa, quia scriptum est, tenebrae eam non comprehenderunt; tenebrae luce gestare non poterant*. Et quamvis Card. Caietanus voluit, non fuisse illam veram nubem, sed quosdam micantes radios, qui e glorioso Christi triumphantis corpore prodibant, nihilominus Abulensis, et communis doctorum opinio docet eam veram nubem fuisse, ut D. Lucae verum

sonant: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*. Cum etiam Angelus dixerit discipulis: *Stetite et quaedammodum vidistis eum*: et deinde in secundo adventu venturus sit in nube vera, sicut ipse praedixit: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli*. Rationem, et sacro textui admodum congruit dicere, Christum in vera nube descendisse, quae, ut dixit Tertullianus, non sub eius tantum modo pedibus, ut aliqui opinantur, fuit, sed a vertice usque ad plantas undique ipsum circumdedit: *Circumfusa, ait, nube in coelum raptus est*. Recensent sacrae litterae, quod postquam Moyses omnem ornatum, quem Deus ei mandaverat, in templo posuisset, nubes quaedam a coelo delapsa tabernaculum cooperuit: *Postquam perfecta sunt omnia, nubes cooperuit tabernaculum*. Non dissimiliter hodie, postquam Christus omnia suae Ecclesiae necessaria copiosissime providerat, Evangelicam doctrinam evulgaverat, sacramenta instituerat, Episcopus creaverat, infestissimos hostes relegaverat, tandem descendit nubes quaedam caelitus delapsa, quae sacratissimi illius corporis tabernaculum operuit: sic enim illud vocavit S. Paulus tabernaculum, quod fixit Deus, et non homo, *Tabernaculum non manufactum*. Vocat illud tabernaculum Dei manibus, non hominis fabricatum, quia Spiritus sancti opera, nulla virili operatione interveniente, formatum fuit: *Sanctuarium tuum, quod formaverunt manus tuae*, ita interpretatur Origenes. Quod si diligentius perscrutari velimus, quare Deus nubem ista Christo Ascensionis suae tempore miserit, audiamus ante omnia magnum illum Patrem S. Ambrosium (sermone 61.), ubi ait: *Semper Deus quos per inturias perducit ad requiem, protegit nubes subtraheo, sicut filios Israel liberatos de Aegypto nubes caeli protegit, et ut post multum laborem in terram promissionis induceret, expandit nubem in protectionem eorum*. Verum secundo loco crediderim cum venerabili Beda, ac Theophylacto, Christum hac nube usum fuisse, ut nobis demonstraret, se Deum verum esse, eumque, qui ascendebat, non esse purum hominem: etenim, ut affirmant Patres praecitati, nubes semper habitatae fuerunt pro loco proprio, atque domicilio ipsius Dei, ex quibus solitus erat alloqui homines. In nube apparuit Moysi (Num. 13): *Et descendit Deus per nubem, et loquutus est ad eum*; in nube conveniebat Aaronem (Exod. 13): *Ecce gloria Domini apparuit in nube*; in nube se manifestabat super propitiatorium: *In nube apparebat super oraculum*; nubes aliquando Deo currus fuit: *Ecce Dominus ascendit super nubem lucidam*; aliquando vero thronus (Ps. 88): *Thronus meus in columna nubis*. Hinc est illud Davidis, qui ad declarandum, nullum esse Deo aequalem, dicit: *Quis in nubibus aequabitur Domino? Excercabilis ille Nabuchodonosor adorari volens tanquam Deus, dixit: Ascendam super altitudinem nubium, et similis ero Altissimo*. Christus ergo Dominus splendida illa nube in die Ascensionis suae circumdari voluit, ut significaret, eum in Dei throno, quae nubes sunt,

sedet, non solum hominem, sed verum etiam Deum esse. Sane si omnia Christi opera attenta mentis acie perlustraverimus, in omnibus quadam divinitatis suae umbram, in Ascensione tamen splendidissimos illius radios detegemus. In praesepe recens natus frigidis asperitate tremebat, coelestes Angelorum chori illius nativitatem cohonestabant. Circumcidunt eum tanquam peccatorem, lesu tamen nomen, quod esset super omne nomen, ei imponunt. Fugit in Aegyptum, tanquam Herodis furorem timescens; at ibi Aegyptiorum idola destruxit, daemone ora compevit. Baptizatur in Iordane, tanquam si baptismum egeret, et ibi auditur vox aeterni Patris, eum Filium vocantis. Coeli panduntur, divini Spiritus aura super caput eius in forma candidae columbae desinit. Et denique inter duos latrones cruci affluis, ab uno Rex nuncupatur, et post eius mortem sol obscuratur, ac petrae scissae fuerunt. Signa laque atque portenta speciem quadam, atque odorem suae divinitatis praeserebant. Verum illa suae triumphantis Ascensionis die aptiores, ac clariores divinitatis suae radios emittit, ita ut omnis creaturarum universus Creatorum, ac Dominum eum agnosceret: homines et monte Oliveti, tanquam aeterni Patris Filium adorant, aer lucem, et serenitatem novam induit, coelestia corpora novis splendoribus coruscant, nubes splendida ad suscipiendum eum obviam venit, Angeli suavi laudum hymnorumque harmonia occurrunt: omnes denique creaturae unanimes dierna die Deum suum esse affirmant, aeternusque Pater, tanquam verum, ac naturalem Filium eum recognoscit, eique regni sui claves tradit, atque ad eius dexteram collocat: *Sedet ad dexteram Dei*. Atque his satis superque comprobatum arbitror, Christi Ascensionem in summum honorem, summamque eius gloriam cessisse. Videamus ergo, quae ratione, quove modo nobis Ascensio condaxerit. Sane illa adeo profuit, ut sancti Spiritus adventum ei debeamus, quemadmodum iam Christus praedixerat (Ioan. 16.): *Si ego non abiero, Paraclitus non venit ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos; ac si dixerit, Sacrosancti Spiritus adventus a me in coelum Ascensione dependet, inde vobis eum mittam, ut animis vestris vivam fidem inspirat, firmam spem infundat, corda vestra ardenti, atque perfecta charitate inflammet, tenebras intellectus expellat, fragilitatem fortificet, varia gratiarum charismata, Apostolorum videlicet Evangelistarum, pastorum, ac doctorum tribuat, quibus Ecclesia catholica in dies augetur, et crescat. Insignis huius rei imago fuit coelestis illa Eliae Prophetatae imago: siquidem cum universum Iudae regnum, ob triennalem pluviae inopiam magna sterilitate opprimeret, sanctus Propheta ad fastidium cuiusdam altissimi montis se transtulit, ferventibus illic precibus Deum deprecans, ut terram siccam, et aqua carentem irrigaret, Deoque preces offerens mandavit famulo suo, ut versus mare aspiceret, et ei re-*

censeret, quidquid videret. Cui famulus: *Ece nubecula magna quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Perseverante autem Elia in oratione, huiusmodi nubecula ita excrevit, et brevi temporis spatium totum coelum operiens copiosum adeo aquarum imbrem emisit, ut terram omni genere fructuum abundantem, atque fertilem redderet. Quemadmodum igitur tunc in altum ascendens nubecula illa tam ingentem aquarum copiam effudit; ita Christus ad altissimum coelorum ascendens, inde divinam illam sancti Spiritus pluviam demisit: *Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuae:* Originale Hebraeum vocat illam *pluviam liberalitatum*, pluviam inquam donorum, charismatum, atque gratiarum, quo super sanctos Apostolos effluxit, ut ab illis tanquam a montibus in vallem Ecclesiae derivaretur. Totius huius felicissimi eventus militi prognosticum, et praesagium quoddam fuisse videtur splendidissima illa nubes, in qua Christus ad coelum ascendit, nam, ut ait Plinius, si coelo sereno, claro, laetique existente nubes inter Septentrionem, et Meridieum oriatur, signum evidens est, copiosam inde pluviam nascituram, naturam enim duorum extremorum participat, atque ita ventos, pluviamque praenunciat. Hac ratione Christus admirabilis illa nubes per medium Septentrionis, atque Meridiei ascendens ventos, atque coelestes pluvias nobis praenunciavit, unde in die Pentecostes dicit S. Lucas (*Act. 1.*): *Quod factus est repente de coelo sonus, tanquam adventus spiritus vehementis, ecce ventos.* Davide autem dicente nuper citata verba: *Pluviam voluntariam segregabis hereditati tuae,* ecce pluviam, quae sanctam Dei Ecclesiam ita foecundavit, fertilemque floscolorum hortum excreverit, purpureas Martyrum rosas, castissimarumque Virginum candida lilia, germinantem, ac utriusque hemisphaerio, coelesti, et terrestri insolitam, insuetamque quandam odorum fragrantiam ac suavitatem emittentem, ut inde evidenter innotescat, quantum utriusque condiderit gloriosa Christi in coelum Ascensio. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA SEXTA

*Christi Domini mirabilem Ascensionem longo intervallo antecellere reliquas omnes ascensiones, quas tam humanae, quam divinae recolunt historiae, palam fit.*

Inter ceteras nostrae Christianae religionis excellentes illam non existimari infimum locum tenere, quod falsa Ethnicorum gentilitas fabularibus Poetarum suorum figmentis eo nunquam attingere potuit, ut res tanta admiratione dignas, tantaque prodigia atque por-

tenta efflaxerit, quanta de sacris Christi mysteriis catholica praedicat veritas. Et quoniam ista partim lib. 2. partim lib. 9. multis testimoniis a nobis latius comprobata fuere, ideo in praesentiarum pro huius veritatis corroboracione, atque firmitate ae sollemniori recensebimus, quae ad triumphantis Christi Ascensionis mysterium pertinent. Princeps Latinae Poeticae (*lib. 1. Aeneidos*) scribens de Neptuno Deo aquarum, depingit eum incidentem in quodam curru, alatis, et volantibus equis instructo:

*Fleclit equos, curruque volans dat loca secundo.*

Et idem (*lib. 4.*) refert de Mercurio Deo poeta, fingens eum supra maria, atque terras aureis alarum talaribus volasse.

*Et primum pedibus talaria necit Aurea quae sublimem, alis sicce aequora supra.*

*Sed membrae rapido pariter cum flamine portant.*

Atque iterum idem (*lib. 6.*) dicit de antiquo illo Daedalo, quem Graeci instar avium alatum finxere, alarum suarum ministerio de homicidio accusatum e fortissima arce, maris undique circuitu circumvallata fugientem provolasce:

*Gelidas enavit ad Aretos:*

Quod se per aerem ita transportavit, ut ad polorum axem perveniret. Verum, ut haec omnia praetermittam, quis est litterarum humanarum tam expertus, qui nesciat Poetas antiquos finxisse, Perseum Iovis filium, perempta Medusa, cuius aspectus homines in lapidos convertebat, in argumentum tam celebris atque insignis victoriae ab hoc infimo mundi hemisphaerio ad coelos transferri meruisse? Nec ignoramus eosdem fabulari Bellerophonem Graeci Regis Ephryae filium, post devictum ferocissimum Chimerae monstrum, et apertum ungulam equi sui, quem Pegasus vocant, admirabilem illum Hippocrenes fontem, ad coelestium consortia gloriosum, et triumphantem pariter delatum fuisse. Icarum autem fabula quid vulgaris? quem coeae alae, nimia illarum fretum fiducia volentem ad coelos volare solis ardore liquefacta praecipitem in profundum pelagus egerunt? Fictio certe, quam sacrolegus ille Simon Magus sibi imitandam proposuit, ita ut in conspectu totius populi magicarum suarum superstitionis alis in coelos etiam advolare praesumpserit; sed in medio eius conatu ferventes D. Petri orationis radii, atque ardore illas, ut tradit Egesippus, liquefecerunt, eumque deorsum, non sine maxima plantarum iactura, in terram depulerunt: *Ut qui, veluti refert sanctus Maximus, pennas assumpserat, plantas amitteret.* Plena etiam sunt historiae arroganti illa Romanorum vanitate, atque superbia, qui ut eorum Imperatores, tanquam Dii ab omnibus colerentur, ipsa funeralium die regalem quandam aquilam (ut scriptum reliquit Herodotus) quae divinitatis, atque ascensus eorum ad superiores elogie esset, ab eminentiori eorum tumuli fastigio dimittebant, et huiusmodi caeremoniae genus apo-

stoliam appellabant (quod canonizationem significat.) Hac enim via ipsos deorum immortalium numero adscriptos esse asseverabant. Ac demum magnus ille Pater D. Augustinus (*libro 8. de Civitate Dei cap. 18*) refert, senatores Romanos, optantes Urbis suae fundatores Romulum ut Deum coli, subornasse Proculum quendam, ut se vidisse ipsum ad coelos evolasse, tanquam eorum dominum, publice testificaretur. Verum enim vero si tot Poetarum fabulis, variisque Ethnicorum, ac gentilium superstitionibus postpositis, sane inveniemus Ecclesiam deo Enoch referre, quod placuit Deo, et translata est in paradysum, quod ascendit per aera et terra, in qua existebat, et in altam regionem speciosiore, atque amoeniorem, videlicet in paradysum terrestrem, delatus fuit. De Elia quoque dicit sacra Scriptura (*Reg. 2.*): *Ece currus igneus, et equi ignei, et ascendit Elias per turbinem in coelum.* Et D. Paulo memoriae traditum est ipsi in tertium coelum rapti gratia secreta aperta fuisse. Porro licet in aliquibus harum, similibusque ascensionibus, tum veris, tum etiam fictis, multa hominum adinvenierint ingenia, in altis vero divina se demonstraverit potentia; eorum tamen omnium memoriam una illa gloriosa Christi nostri Redemptoris Ascensio oblivione vindicat, penitusque obscurat. Quippe si Neptunus, si Mercurius, si Daedalus alas habuere, sane non nisi maria cum illis transvolasse feruntur; at illae Christi alae tantae virtutis, tantaeque erant potentiae, ut iis ignis, atque aeris regionem tranaverit universam, sive volatus viribus ultimos coelorum cardines, atque fastigia superarit. Si Perseo post obtruncatam Medusam serpentem ad superiores evolasse concessum fuisse permittimus; Christum etiam devicto antiquo illo serpente daemonio, prostratoque ferocissimo illo dracone, et morte videlicet, quippe *Qui mortem nostram moriendo destruxit*, in praemium tam illustri, tamque insignis victoriae, gloriosum, atque triumphantem ad altissimos divini domicilii recessus transmigrasse non ignoramus. Si Bellerophon feroci illo Chimerae prodigio domito, ac invento Hippocrenes fonte una cum suo Pegaso ad coelos elatus fuisse traditur, figmentum profecto est istud, atque inventum Poetarum; at vero Christus sine cuiuspiam suffragio solo corporis sui immortalis equo subnixus, feroci illa bestia, mundo scilicet debellato (*Ego vici mundum*), et aperto documentis suae doctrinae praeclearo illo divinae sapientiae fonte, ubi non musae commemorantur, cum ingenti coelestium omnium iubilo, atque applausu ad antiquam illam coelestis patriae gloriam remeavit. Si Icarus, et nefarius ille Simon Magus in altum sese extulerunt, illi omne sane pennis artificialibus obtinuerunt, et talibus quidem, ut nec coelum attingere poterint, cum in medio sui volatus ab incepto desistere, atque hic in terram, ille vero in profundum pelagus decidere non sine magna animi perturbatione, atque confusione coacti fuerint; at Christus cum

summa, atque incredibili constantia a gloriosa Ascensionis suae volatu non destitit, sed eodem, quo cooperat motu, progressus est, donec in altissimo coelorum sedem suam collocavit. Neque porro id magiae, ut Simon Magus, sed divinae virtutis ministerio efficit. Et si Romani suis Imperatoribus divinitatis dignitatem adscribere totis viribus elaboraverit, eisque penas pro coelorum peragendo consensu addere: non immerito lustino martyri (*in 2. sua Apologia*) ludibrio fuere, dum in eos ita loquitur: *Imperatores, qui apud vos e vita excedunt, immortales esse censent, quendamque iratum proclitum qui Caesarem combustum in coelum esse igne reverti viderit;* at Christus, neque divinitatem, quam habet, neque penas, quibus ad eminentissimos coelorum vertices transvolavit, a subditis suis, sed ab aeterno Patre eorum omnium opifice suscepit. Si Romani quoque senatores, ut omnes gentes Romulum Urbis conditorem tanquam Deum adorarent, nihil facere omitterent, ut talem ad superiores eum ascendisse asseverarent, idque falsissimo Proculi cuiusdam testimonio, asserentis se illum fuisse praesentem ascensui, probaverunt: bene profecto D. Cyprianus eorum arrogantiam atque impudentiam illudit, dum ait: *Romulus praesente Proculo Deus factus est:* quod idem tradit Tertullianus, dicens: *Romulus scilicet mendacii ascendit in coelum;* at Christus ad Ascensionis suae veritatem comprobendam non falsos, non subornatos, sed Apostolicos inducit testes, non unicum, ut erat Proculus, sed plures, eosque coelestes, ac omni exceptione maiores, ut eorum personae, eorumque dicta nulla ratione taxari, nullaque calumniantium iniquitate convelli queant. Et quamvis Elias, et Enoch et terra fuerint sublevati, id tamen non ut ad coeli, sed terrestri paradisi auram transmigrarent, effectum fuisse legimus, ubi hodie permanent, atque Antichristi adventum expectaturi permanebunt; sed Christus ad coelos evolavit, *Assumptus est in coelum*, non in curru igneo, qui formidine incuti, sed in splendida, atque laetenti nube: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Demum si S. Paulus in coelos, non tamen ultra tertium raptus fuit, Luca attestante: *Raptus est usque ad tertium coelum*, et nihilominus, ut ipsemet testatur, sive in corpore, sive extra corpus, nesciebat; Christus autem, ut inquit S. Thomas, usque ad conexam ultimi coelorum superficiem ascendit, neque id raptu quodam imaginario, aut solo animo, sed et corpore, quod eum eo simul ad coelos gloriosum pervenit. Verum ut universas istas Ascensionis Christi praerogativas atque excellentias praetermittam, unam attingam solummodo, tanquam eorum praecipuum, et ad quam poeticae fictions, hominumque ingenia nunquam attingere poterant, cum nullo unquam tempore vel in eorum devenerit cogitationem, hominum quempiam propriis viribus, atque virtute, sine alieno subsidio volare potuisse, ita ut his alas, illis talaria, istis equos, aliis vero currus adscripterint; Eliae etiam currum igneum, Enoch, et Abacuch, Angelos, qui illos per aerem eveherent, attribuerint. Ceterum Christus in illa gloriosa

suae, atque triumphalis Ascensionis die propria virtute, propriisque viribus fretus ad coelum ascendit, quemadmodum praedixit Isaias (c. 63.): *Iste formosus in stola, gradens in multitudine fortitudinis suae. Utitur hoc dicendi genere, ut nobis significet quod divinitatis, atque animae suae sanctissimae virtute in altum gradiebatur; neque ei corporis deerat potestas, cum insigni illo agilitatis dono praeditus esset, quod ab infusa gloria in corpus redundabat: quae omnia quemadmodum sine medio aliquo a Christi ascendentis persona proveniunt, ita apud omnes indubitatum esse debet, ascensionem huiusmodi propriis eius viribus, non alienae virtutis auxilio contigisse: et ob tam singularem illius excellentiam David passerem solitariam Christum Vocasse non immerito crediderim, cum in volandi modo sit unicus, solus, ac singularis; ob eandem quoque rationem arbitrator, Ecclesiam iure optimo Ascensionem admirabilem vocasse: nam quamvis alia etiam quamplurima corpora per aerem ascendisse scriptum inveniamus, tamen id (ut nuper dicebamus) non eorum propria virtute, sed alieno contigit subsidio: ita ut merito Christi Ascensio tanquam res rara, admirabilis fuerit appellata, et quam uti talem felices illi Christi discipuli admirabantur, dum eisdem suspicientibus dixit Angelus: *Quid admiramini aspicientes in coelum?* Quamobrem non abs re erit hoc loco Hieremiae de Christo loquentis verba explicare, dum dixit: *Quasi leo ascendet de superbia Jordanis.* Refert enim Eustratus auctor antiquissimus, tantam esse leonis, eiusque sanguinis generositatem, ut quamvis fortitudo atque virtus cordis ceterorum animalium ex stellarum, ac coelestium signorum influxu valde dependant, illisque specialiter subordinentur; nihilominus vis illa leonis ita egregia sit sui natura, ut ab huius speciali dependentia, atque subordinatione libera penitus existat. Si igitur Christus ex sui naturae ingenuitate, ac conditionis generositate leo est, Ioanne dicente: *Vixit leo de tribu Iuda*; sane quando ad coelos transmeavit, illa propria eius virtute, non ab alio quopiam, aut alieno dependens auxilio ascendit. Et quamvis veritas se habeat eum nube circumdatum, prout David (Psal. 103.) praedixerat, ascensurum: *Qui ponis nubem ascensum tuum*; non tamen illa adminiculi, aut sustentaculi sedes erat, aut vehiculum, cum ipse eam sustineret, atque veheret, sed ad ornatum, pompamque gloriosissimae suae Ascensionis descriebat. Itaque, ut nunc paucis superius dicta perstringam, haec est gloriosae Ascensionis Christi praerogativa, haec singularis eminentia, quod hodierno die ascendit, non alis, aut pennis artificialibus, ut Neptunus, Mercurius, atque Daedalus: non cereis, ut Icarus: non arte magica, ut Simon: non aquilae fallaci ingenio, ut Romani Imperatores: non falsorum testium attestatione, ut Romulus: non curru igneo, ut Elias: non in puncto, vel momento temporis, ut Enoch, sed paulatim translatus fuit: *Videntibus illis elevatus est*: non quopiam imaginario ascensu, ut Ezechiel, aut divus Ioannes in sua Apocalypsi: non demum raptu, aut mentis ekstasi, ut divus Paulus:*

sed revera, corporaliter, et sensibilibus gradibus, supra omnes coelos propria sua virtute elevatus fuit: nam quamvis Deus per se solum moveri, ipsaque humanitas per se solum in altum ascendere nequeat, cum ipsa tamen humanitate coniunctus Deus alio diversiter, ipsa vero humanitas in altum ascendere potest. Atqui, ut huiusce rei veritatem vobis ob oculos clarius exhibeam, ingenioso illo Alciati de caeco, et claudo tractantis utar emblemate, qui dum ad ripam eiusdem fluminis simul starent, et ad alteram illius partem transgredi desiderarent, unicuique tamen eorum per se solum id obtinere esset impossibile, cum claudus pedibus, caecus vero oculis caret; ita sibi invicem subvenerunt. Caecus claudum humeris imposuit, atque ita claudus caecum oculis, caecus vero claudum pedibus ducebat, sicut alterum iuvando ad alteram fluminis partem sibi invicem transitum dolere. Itae etiam nec dispari ratione, cum ob magnam Dei immutabilitatem, et immensitatem ei impossibile sit per se ipsum ad coelos et terra moveri (Mal. 5.): *Ego enim Dominus, et non mutor*: atque ipsa humanitas in altum per se ipsam ascendere ob ponderosam corporis gravitatem eam deorsum detinentem minime valet, utique divinitas cum humanitate se coniungens, pedes humanitatis Deo, ut moveri posset; humanitati autem Deus virtutem imperitatis est, ut ad coelos se elevarer, et regni sui possessionem acciperet in dextra Dei Patris sedens. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA SEPTIMA.

*Christi Domini Ascensionis splendidissimum triumphum prosequimur, in illa verba: Sedet a dextris Dei, quae multiplici tam sacrarum, quam humanarum litterarum, simulque aperitur, in qua empyrii coeli parte Christus Dominus thronum suum locavit, et an sedens, vel stans in eo resideat.*

Priusquam ad varios circa proposita verba certantium Doctorum sensus progrediar, turpissimum quorundam errorem, cuius D. Augustinus meminit, in primis refellere operae pretium duxi. Ait enim nonnullos haereticorum assertuisse, Christum non revera, sed ficte, ac metaphorice in coelum ascendisse, opinionis suae fundamentum sumentes ex illo D. Ioannis, *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo.* Ex quo ipsi etiam inferrebat, Verbum divinum in tantum in terram descendisse, inquantum sub humanae naturae humilitate magnitudinem suam, potentiamque occultavit, absque ulla tamen cum carne hypostatica unione: et versa vice in tantum in coelos ascendisse, in quantum terrarum orbi gloriam, et maiestatem suam in Christo ostentavit. Quin etiam

praecitati loci verbis innotentes, Christi humanitatem iure in coelis non esse, aasserere non erubuerunt. *Nemo*, inquit, *in coelum ascendit, nisi qui de coelo descendit*: ergo cum Christi humanitas de coelo non descendit, sequitur in coelo secundum realem, et veram existentiam minime esse. At catholica veritate edoceamur, Christum revera in coelum conscendisse, ut disertis verbis tradit S. Lucas, dicens: *Ere ferebatur in coelum*, idque unanimi consensu confessi sunt universi Patres Concilii Niceni, ex Symbolo Apostolico edocti; quod et praedixerat David multis in locis, inter quae observatione digna sunt illa verba (Psal. 113): *Paravit in coelo sedem suam*: quibus aperte praesupponebat, eum revera illuc fore ascensurum, ut illius loci corporalem possessionem caperet. Neque huic tam manifestae veritati quidquam refragantur verba illa: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo*: siquidem, ut prudenter advertit Theodoretus (in c. 4. ad Ephes.): *Non alius descendit, et alius ascendit, sed aliter ascendit, et aliter descendit.* Quod et ab Augustino (in comm. illius loci) clarius expositum legimus, dum ait: *Quia ascendere est personae, non naturae, nisi in quantum est in persona; eadem persona Christi descendit, et ascendit. Descendit quidem sine corpore, ascendit vero corpore induta.* Hoc iam confutato errore, varia sunt circa intelligentiam illorum verborum, tam priscorum, quam recentiorum Doctorum placita: quippe omissio, quod Dei tanquam veri spiritus nulla potest esse manus, aut dextera, aut sinistra, quae tamen concederetur, nequam dextera Filio deberetur, cum apud omnes catholicos indubitatum sit, Spiritum sanctum eiusdem esse dignitatis, et maiestatis cum illo: non ergo honoratior locus Filio deberet dari, quam Spiritui sancto. Deinde cum Pater aliarum personarum origo, et fons sit, et hac speciali prae ceteris divinis personis polleat dignitate, quod a nulla alia procedat: reliquae vero ab eo originem ducant; certe ratione huius dignitatis dextera debet ei adscribi, non Filio. Permulti neoterici Doctores hac pressi difficultate in eam abiере sententiam, ut antiquitus sinistram dextera digniorem fuisse affirmaverint; idque comprobare contendunt ex eo, quod, ut S. Thomas probaret in antiquis illis divi Petri et Pauli Apostolorum imaginibus, D. Petrus ad sinistram, Paulus autem ad dexteram collocaretur, quae consuetudo hoc usque perdurat, ut patet tum in sacro palatio, tum in bullis summorum Pontificum: et tamen apud omnes indubitatum est, D. Petro, tanquam Ecclesiae catholicae, ac apostolorum principii primum, et digniorem locum dari. Eusebius vero recenset, Constantinum adhuc aetate tenerum, Imperatoris patris sui dexterae adstitisse. Quin et huic opinioni sacrae litterae optulari videntur: legitur enim Salomonem Regem matri suae Bethsabee ad eum introeunti occurrisse, eamque ad throni sui dexteram collocasse. Et propheta David, loquens de Rege sponso, quod Reginam sponsam ad dexteram locavit ait (Psal. 44): *Astitit Regina*

*a dextris tuis.* Est autem satis comperitum, dedecore personam publicam, etiam patri suo, aut matri in publicis actionibus primum locum deferre; unde non immerito antiquitas laudabile illud, atque insigne Fabii factum celebravit, utpote qui dum consulatus fungeretur officio, patrem suum sibi obvium equitatem aspiciens (quod apud Romanos in consulatum praesentia prohibitum erat) satellitem misit, iniungens ei, ut ex equo continuo descenderet; qui filii sui mandato lubenti animo obtemperavit, et eundem tanquam consularis dignitatis zelotypum collaudans censuit. Cum ergo, aiunt, Salomon matrem in publico actu ad throni sui dexteram collocavit, primum et locum non detulit, sed inferiorem. Causa autem, qua antiqui moti fuere sinistram digniorem reputare, ea, inquit, fuit, quod ii, qui illustrem alicuius virum comitabantur, aptiorem locum ad eum protegendum, cuiusmodi est dextra, sumebant, et veluti defensores, ac custodes a dextris ei assistebant. Unde etiam fiebat, quod illustrioris personae latus sinistrum medium locum obtineret inter latus sinistrum protegentis, et dexteram protecti. Hincque originem traxit, quod ii, qui ita ad alicuius dexteram tanquam defensores illius incedebant, antiquitus laterones, aut stipitatores, nuncuparentur. Eadem etiam de causa D. Petro Apostolorum principii, cui tanquam Christi in terris Vicario primus, digniorque locus erit debitus, in imaginibus, ac litterarum Apostolicarum sigillis sinistram, D. Paulo dexteram, tanquam illius defensori, nudum prae manibus gladium gestanti Romani assignaverunt. Ex qua singulari doctrina illius sequaces colligunt, aeternum Patrem in illa gloriosa Ascensionis die, Christo dicente *Sede a dextris meis*, non digniorem, sed proximum a suo loco attribuisse locum, ipsumque sinistram tenuisse, ut maiestate, et auctoritate digniorem habitat.

Verum haec sententia vulgi tantum aures demulcens, mihi probari non potest: fundamentum enim illius, dexteram videlicet antiquitus inferiorem fuisse dignitate, debile admodum iudico. Nam praerogatum id falsum esse censet D. Hieronymus, et S. Ambrosius, ex Genesi evidentiter nobis contrarium demonstratur: dum enim Patriarcha Ioseph ad patris sui dexteram filium suum Manasse collocasset, sanctus senex Ephraim illi praeferre volens, manus commutavit, ac dexteram super Ephraim, sinistram vero super Manasse posuit, quem inferiorem futurum praenunciabat. Quinimo Christus in Evangelio testatur, se praedestinos ad dexteram, damnatos vero ad sinistram positurum: iudicavit igitur ipse illam hac multo digniorem. Nec videtur admodum urgere quae in contrarium allata sunt: etenim si Salomon, aut sponsus, ille matrem, hic sponsam ad dexteram posuere, id solum indicat, eis prae ceteris aliis primum locum dedisse, sed non digniorem suo. Ad illud autem de imaginibus DD. Petri, et Pauli Apostolorum apprimo respondet divus Thomas, quod quemadmodum in sacris litteris per sinistram praesens vita,

per dexteram vero coelestis significatur: hinc est, quod sicut S. Petrus a Christo, in hac mortali vita existente, sanctus vero Paulus, postquam Christus in coelo aeterna vita gauderet, vocati fuerunt, hac ratione moti, S. Petrum ad sinistram, Paulum autem ad dexteram collocarunt. Aliam vero responsionem instituto nostro admodum congruam suggerit nobis doctissimus ille Ioan. Molanus, qui id effectum fuisse autumat ad summam divi Petri humilitatem demonstrandam, qui cum omnibus maior esset, inferiorem tamen locum sibi elegit, ut successoribus suis exemplo esset capiendi pro illorum insigni humillimum illum titulum: *Servus servorum Dei*. Verum omnia hac explanatione, tanquam magis curiosa, quam vera, D. Athanasius, S. Ioannes Damascenus, ac S. Chrysostomus locum putiosum Christi corpus esse, in quantum Deus est, ita ut per dexteram, divinam eius maiestatem, et cum aeterno Patre aequalitatem intelligant: *Qui non rapina arbitratus est se esse aequalem Deo*. Et sane paraphrasim ista recte admodum in D. Paulo fundari videtur, utpote, qui (c. 1. *Epistolae ad Hebr.*) probat Christum Deum esse: *Quia sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*. Porro sanctus Theodoretus (in *hunc diei Pauli locum*) et Cyrillus Alexandrinus eundem de Christo, in quantum homo est, intelligendum esse asserunt, adeo ut quod aeternus Pater illum a dextris posuit, id fuerit ei tantum honoris, tantumque maiestatis attribuerit, ut propter universalem dominium ei in omnes creaturas concessum, in proprio sua maiestatis throno collocaret, et ipsum patriae cultu coli, atque adorari voluerit. Cuius rei imaginem quandam nobis ob oculos poni videmus in Salomone, qui in proprio Davidis patris sui throno sedit: *Salomon autem sedit super thronum patris sui, et firmatum est eius regnum nimis*. Verum obicit aliquis, Christum haec omnia ante eius in coelum ascensionem habuisse; aliquid ergo ab his diversum est, quod in die Ascensionis ad dexteram Dei Patris sedisse sancta confitetur Ecclesia. Huic obiectioni respondeo, Christum in Ascensione divinae excellentiae, et supremae suae dignitatis singularem manifestationem, ac claritatem recepisse, quam quidem ipse antea a Patre postalavato, dicens (Joan. 17.): *Nunc clarifica me tu Pater apud te metipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te*; id est manifesta hominibus me tibi aequalem esse, et Deum verum de Deo vero. Demum quia Christus in gloriosa illa triumphantis Ascensionis suae die, imperii, ac regni sui possessionem apprehendit, ubique excellentissimum inter omnes locum, ac supremam cum summa aeternitate sedem obtinet, propterea etiam aeternum Patrem a dextris suis eum collocasse asserimus. Verum ne in hoc prolixiori forsitan dicendi genere uti videar, indagemus modo, quo in coelo, aut in qua illius parte Christus sibi sedem, thronumque locari delegerit. Ne fari illi Seleucia haereticae pravitas sectatores, ut divus Iugustinus (l. de haer. c. 59.) attestatur, assererent, Verbum divinum in

Ascensionis die se humanitate sua exuisse, humanitatemque ipsam in splendenti solis globulo locasse, iuxta illud Davidis (*Psal. 18.*): *In sole posuit tabernaculum suum*. Et Serapion Episcopus, referente Sixto Senensi, Origini adseribit, Christum in Ascensionis suae die in sole substituisse, nec ulterius fuisse progressum, praedicti Davidis loco inveniunt. Unde etiam Manichaei, ut scribit etiam sanctus Augustinus, solem adorabant tanquam locum quandam sacrum, in quo Christi corpus depositum conquiesceret. At ut recte Pamphilus martyr (in *quadam apologia sua*) testatur, non modo Origenes in hunc errorem non incidit, quin potius eum evidenter refutavit in explanatione illorum verborum, eaque allegorice explicat, sicut et S. Augustinus, licet diversa sub allegoria ea exposuerit: tabernaculum enim putiosum Christi corpus esse, quia animae velut domicilium, et tabernaculum est, et illud ait posse in divina persona, quam per solem intelligit. Nicolaus autem de Lyra, alique quamplurimi interpretes ad litteram de sole ipso praedicta verba exponunt, cui ait David coelum pro tabernaculo traditum esse. Verum quidquid de hoc sit, Christum in sole substituisse pugnat evidentissime cum divi Pauli doctrina, asserentis eum super omnia coelorum fastigia transvolasse (*Ephes. 4.*): *Ascendit super omnes coelos*. Comperit autem, solem in quarto coelo esse, ac super illum plures alios existere, quidquid nonnulli delirantes Astrologi oblaerunt. Porro hic tria praecipue discurrunt occurrunt. Primum est, An Christus intra ipsum coelum, an extra illud sit. Noster Alexander Alensis eum intra coelum empyreum esse asseverat, eiusdemque sententiae fuit Durandus; fundanturque in eo quod Christus corporaliter videtur, et a Beatis corpore constantibus corporaliter videtur: visio autem fieri nequit sine speciebus visibilibus, quae ab obiecto ad potentiam attingere minime possunt, nisi per diaphanum aliquod corpus pertransierit quod cum extra ultimum coelorum non reperitur, necessario dicendum esse videtur, Christum intra illud existere. Verum Angelicus Thomas (3. p. q. 37. ar. 4. ad 2. arg.) asserit, totum Christi corpus extra ultimum coelorum sphaeram existere, ita quod pedum plantis convexam coeli empyrei superficiem attingat: quod etiam significavit D. Paulus, dicens (ad *Heb. 7.*): *Excelsior coelis factus*: idemque antea praedixerat David, siquidem ubi vulgata nostra translatio dicit, *Ascendisti in altum*, Graeci interpretes verterunt, *Ascendisti in fastigium*. Quam interpretationem sequitur Tertullianus (libro quinto contra Marcionem), et eisdem sententiae consentiens Nicolaus de Lyra (in *Psalum 67.*) dicit, quod Christus ascendit super extremitatem coeli empyrei, quod est excelsus super omnes coelos. Nec ratio Alexandri de Ales. et Durandi videtur mihi esse aliquid momenti, cum per coelum, et per ipsum corpus Christi, et eiusdemque alterius Beati, propter proximam eorum claritatem, species visibiles diffundi, et multiplicari factio possint usque ad visivam potentiam.

Secundum quaesitum est, in qua coeli par-

de Christus thronum suum, sedemque locarit: etenim quamvis aliquibus videatur ad Orientem, propter illud Davidis (*Psal. 67.*): *Psalite Deo qui ascendit super coelum coeli ad Orientem*; eadem tamen ratione dici potest, thronum Christi in Occidente esse: siquidem in eodem Psalmo dicit, *qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi*. Unde Nicolaus Lyrensis primum locum explicans, dicit, quod quando David refert de Christo *Qui ascendit super coelum coeli ad Orientem*, significat, quod Christi Ascensio fuit a Monte Oliveti, qui est in Orientali Hierosolymorum parte: dum vero secundo loco dicit *Qui ascendit super occasum*, id dixisse, ad significandum, Christum eo direxisset iter suum, ut confirmaret, et approbaret id, quod Israelitis mandaverat, ut ad Occidentem orarent, Idolorum cultoribus se opposentes, qui eum solem, tanquam Deum colerent, ad eius Orientem orabant, ut ex Ezechielis capite octavo colligitur. Eadem quoque de causa praecipit Deus, ut constet ex Exodi capite vigesimo sexto, ut tabernaculum, in quo erant Sancta sanctorum, Occidentem versus collocaretur. Porro si coniecturae hic quidquam deservire possunt, rationi admodum consentaneum esse videtur dicere, Christum in medio convexae coeli empyrei superficiem locum posuisse. Etenim omnino nunc, quod locus ille medius omnium dignissimus est, non ignoramus etiam solem in Planetarum medio existere, et indivisibile cuiusque sphaerae centrum in medio illius obtinere sedem. Sic igitur Christum, qui tanquam sol iustitiae, coelestem illam Hierosolymam illuminat, et in cuius aspectu, veluti in centro quodam, Beati conquiescunt, non immerito in medio coelorum collocasse sedem arbitrabitur. Sed cum divinae litterae illius thronum, sedemque nobis satis aperte innuant, non est, quod ab eis ullatenus recedamus. Capite decimo quarto Isaiae legimus, Luciferum thronum suum ponere praesumpsisse in eodem loco, ubi Christus proprium suum collocaret. At ipse Lucifer dicit se illum positurum in Aquilone: *In coelum ascendam, sedebit in monte testamenti in lateribus Aquilonis*. Igitur Christus thronum suum in eodem coeli parte collocatum habet, quam ipse occupare superbe appetierat. Confirmatur id potissimum ex illo (*Psalmi 47.*): *Latera Aquilonis civitas Regis magni*. Habet ergo Christus thronum in latere Aquilonis.

Tertium tandem restat examinandum, num Christus in coelo stet, vel sedeat. Divus Paulus (ad *Eph. 2.*) videtur clare docere, Christum sedere: *Qui consedere nos fecit in coelestibus in Christo*. Verum nullus sanctorum Patrum hanc divi Pauli, aut ei similem illum Symboli locum, *Sedet ad dexteram Patris*, de corporali Christi consensu, sed de gloriae eius dignitate, atque excellentia intelligit: unde rationi consentaneum magis esse videtur, Christum super coelum empyreum stare: stantem enim vidit illum sanctus Stephanus (Act. 7.): *Video coelos apertos, et Iesum stantem a dextris Dei*. Et quamvis non

inficiemur, verbum illud, *stantem*, exponi posse, ut idem significet, quod existentem: in quo significatu usus fuit illo Christus Dominus, dum ait (*Mat. 16.*): *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, id est, de hic existentibus. Divus tamen Chrysostomus, plurimique alii Patres Graeci (in *commentariis huius loci*) explicant verbum illud, *stantem*, pro, in pedibus consistentem. Et quamvis etiam verum sit, quod locus iste, eo etiam sensu acceptus, rem hanc omnino certam, et exploratam non faciat, cum recte Christus, qui prius sedisset, tunc surgere, et stare potuisset, ut dilecto suo Stephano promptitudinem, qua eum adjuvare, et favere paratus erat, demonstraret, ut exponit sanctus Gregorius (*homilia 28. in Evang.*): at procul dubio gloriosi corporis perfectioni magis congruit, erectum, et stantem esse, quam sedentem: sedemas enim, ne corpus nimio labore fatigaret, et cum defessum est, conquiescat. Unde cum gloriosum Christi corpus omnis lassitudinis sit inaequax; non est cur dicamus ipsum sedere in coelo, sed stantem esse. Unde in hac positione verosimilius est Deum creasse hominem in statu innocentiae, et non inacentem, aut sedentem. Verosimilius igitur est, Christum in coelo stare. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA OCTAVA

*Prosequimur aliter clarissimum Ascensionis Christi triumphum, palam facientes, quibus honoris indicium datus a Patre, tum ab Angelis, et aliis creaturis in coelum exceptus fuerit.*

Ascensionis Christi Domini honorem, et gloriam contemplans Isaia haec verba praedixit (*Isa. 2.*): *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes*. Unanimis est Patrum sententia, Ambrosii (super *Luc. c. 19.*), Augustini (quaest. in *Evang. 29.*), Hieronymi (super *Isa. c. 2.*), Origenis (*hom. 2. in Cant. et homil. 4. in Matth.*), et Arnobi (super *Psal. 67.*), per montem Christum Dominum intelligi, magnum quidem, et excelsam virtute, et incomprehensibilem cogitata. Sed videamus, quando hic mons factus, quando praeparatus, quando elevatus, quando tandem ad eum confluxere omnes gentes; maxime, quod conflueret non ad superiorem, sed ad inferiorem locum fluxum designat; Christus autem descendens in coelum, inferiora deseruit, sublimia petit. Hic mons factus est, quando *Verbum caro factum est*: praeparatus est, quando, ut unigenitus a Patre, plenus gratia, et veritate Patri obediens, quamvis excelsus moens, humilis valis conditiones indidit: elevatus fuit in vertice montium, quando in praemium eximiae eius humilitatis, et abiectionis excelsior coelis fac-